

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4196

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Girard de Vallangoujard [écuyer]

Genre d'acte : vidimus

Authenticité : non suspect

Datation : 1264, février

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Louis [IX], roi de France, vidime et confirme la charte de Girard de Vallangoujard en Vexin par laquelle Girard concède les droits et possessions sis à Ambrainville à l'abbé et les moines de Saint-Victor de Paris.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1213, p. 335-336.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod nos litteras Girardi de Valle Engoujart in Wulcassino Francie, scutiferi, vidimus in hec verba :

Universis presentes litteras inspecturis, Girardus de Valle Engoujart in Wulcassino Francie, scutifer, salutem in Domino. Notum facio universis quod ego volui et volo, concessi et irrevocabiliter concedo quod religiosi viri abbas et conventus Sancti Victoris Parisiensis et ecclesia eorumdem habeant, teneant et perpetuo possideant in manu mortua et sine coactione ponendi extra manum suam quinquaginta et quatuor arpenta et unum quarterium et sex perticas, ad perticam regis, nemoris sive bosci, sita apud Ambleinvillam, Rothomagensis dyocesis, in eodem Wlcassino Francie, in una pecia, in feodo meo quod immediate teneo a domino rege Francorum, que siquidem quinquaginta et quatuor arpenta et unum quarterium et sex perticas nemoris sive bosci dominus Radulphus de Margecourt, miles, vendidit abbati et conventui memoratis et ecclesie eorumdem in manu mortua ; et quitavi ac omnino irrevocabiliter quito sepredictis abbati et conventui et ecclesie eorumdem omne jus feodi quod in predicto nemore sive bosco habebam et habere poteram quoquo modo, et omne dominium ac etiam omnem possessionem et quicquid aliud juris habebam aut habere poteram vel ad me pertinebat vel pertinere poterat quoquo modo in nemore memorato, exceptis tantummodo alta justicia et bassa, hoc tamen semper salvo ipsis abbati et conventui et ecclesie eorumdem quod ipsi possint supradictum nemus sive boscum in manu sua, ut dictum est, perpetuo tenere, aut, si maluerint, vendere, donare, commutare vel alio modo alienare quibuscunque aut cuicunque loco vel persone voluerint in manu mortua, et hoc etiam semper salvo ipsis abbati et conventui et ecclesie eorumdem quod si invenerint aliquem vel aliquos incidentem vel incidentes in nemore supradicto preter consensum ipsorum, aut animalia aliqua depascentia in ipso nemore, quod eos et ea possint capere et detinere quousque eis fuerit de dampno plenarie satisfactum ; et promisi per fidei dationem ac etiam promitto, legitima stipulatione interposita, quod contra premissa vel aliquod de premissis, per me vel per alium, non veniam in futurum, et quod nichil juris feodalis vel alterius, nichil domini, nichil proprietatis, aut cujuscunque alterius rei, in predicto nemore sive bosco, per me vel

per alium, in posterum reclamabo, exceptis tantummodo justicia alta et bassa supradictis, et quod tanquam primus dominus feodi predictum nemus sive boscum sepredictis abbati et conventui et ecclesie memorate garantizabo in iudicio et extra, quociens fuero requisitus, contra omnes qui in predicto nemore sive bosco, ratione primi domini feodi, jus aliquod vel dominium in posterum reclamabunt. Insuper notum facio universis quod, pro hiis omnibus tenendis, servandis et adimplendis, supradictus dominus Radulfus de Margecourt in Wlcassino Francie, miles, dedit pro majori parte et concessit michi et heredibus meis quicquid ipse Radulfus et omnes fratres sui et sorores, habebant aut habere poterant in tota terra que fuit domini Nevelonis de Behervilla, militis, necnon et in toto feodo de Behervilla supradicta (sic). Promitto etiam quod si contigerit me mutare sigillum meum, quod tanquam scutifer habeo in presenti, cum fuero (Domino concedente) miles, consimiles presentibus et in eadem forma litteras sub sigillo mutato tradam abbati et conventui sepefatis. In cujus rei testimonium et munimen, presentes litteras sigilli mei feci caractere communiri. Datum anno Domini millesimo ducesimo sexagesimo tertio, mense februario.

Nos autem, ad petitionem dicti Girardi, supradicta omnia, prout superius continentur, volumus et rata habemus, quantum in nobis est, et ea auctoritate regia confirmamus, concedentes quod prefati abbas et conventus eadem in manu mortua teneant in perpetuum pacifice et quiete, salvo in aliis jure nostro ac jure etiam in omnibus alieno. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius, anno Domini millesimo ducesimo sexagesimo tertio, mense februario.